UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XXIII. Qualiter vir spiritualis per viam vivæ fidei, ab omni consolationum gustuum, & sentimentorum spiritualium affectione nudus & purus incedere debeat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

Itaque non ei per ratiocinationes discursusve respondit (hos siquidem facile solet convellere, & eludere, sed perscriptum est; quasi diceret: Contra quod scriptum est, quod fides docet, quodq; sum beneplacitum esse DEUS declaravit, in vanum labores, oleum & operam perdens.

Quapropter utilissimum, & salubertimum remedium est, pro peculiaribus suis necessitatibus peculiaria sacræ Scripturæ loca ad manum habere, quæ in caput cacodæmonis se infestantis valeat projicere, sicque illum procul à se propellere.

Denique praxis utendi & defendendi se hoc fidei scuto, non solum est in verbo Dei scripto, sed maximè in omni tentatione recurrendum est ad verbum illud vivum pro nobis incarnatum crucique affixum; ut aspectu istius formæ divinæ ita deformatæ & figuræ ita miserabiliter defiguratæ, corporisque istius innocentissimi omninò sanguinolenti, & dispersis tortorum tyrannide ossibus & nervis omnino dissoluti considerantes, insuper faciem, in quam desiderant Angeli prospicere, sanguine, phlegmatibus, sudore deturpatam, caput corona spinea perforatum, humeros flagellis conscissos, & oculos mortis præsentia obscuratos, præsertim cum, ut fides docet, omnia hæc pro satisfactione peccatorum nostrorum DEUS patiatur, intimis suspiriis, & cordiali affectu exclamemus: *Domine DEUS meus, qui tam atrocia tormenta pro peccatis meis pateris, quomodo? qua fronte audebo peccare adversum te, istaque amore mei susceptavulnera, plagasque acerbissimas renovare? absit, absit, ne permittas Domine hanc rem.*

Adjuva me Domine DEUS meus, Redemptor meus, nec permitte sanguinem istum pretiosum inutiliter pro me effundi, nec pereat anima mea, quam tanto pretio redemisti. Generale remedium est istud adversus omnes inimici hostilitates.

Particularia porro contra quaslibet particulares tentationes, à Christi Domini sanguineis fontibus haurire nequaquam difficile erit, quod enim majus adversus ambitionem antidotum, quam Christi Domini in medio latronum suspensi, altissimus omnium hominum despectus? Avaritiam largissima proprii sanguinis pro salute nostra profusio confundet; deliciarum amorem procul fugabit meditatio immensorum dolorum istorum, quos agnus innocentissimus, & tenerrimus pro remissione iniquitatum nostrarum passus est, sicque per omnia discurrendo nullum vitium inveniemus, cui desit particularis medicina, è vita & passione Christi Domini.

CAPVT XXIII.

Qualiter vir spiritualis per viam vivæ fidei, ab omni consolationum gustuum, & sentimentorum spiritualium affectione nudus & purus incedere debeat?

QUi in orationis cursu progredi ferventer desiderant, præter ea quæ diximus procedere debent via fidei vivæ nuda, non ab operibus (hoc enim maximus error & stultitia foret) sed ab affectu consolationum, gustuum, experientiarum, sentimentorum, & revelationum, ut hoc capite, Deo dante, ostendemus.

Duo modi, quibus Dominus DEUS justos in suo servitio continet. Primus consolationum.

§. 1.

POrro ad probè intelligendam hanc fidei nuditatem, sciendum est: DEUM duobus modis providere Electis suis, quibus mediante gratia, quæ præcipua est, incitentur ad currendam mandatorum viam, & constanter in servitio Dei perseverandum.

Primus est, visitatio, & consolatio divina cum Dominus suavem animæ infundit Lætitiam, gaudium, & robur spirituale, quibus ad virtutem delectabiliter se moveri, & incitari sentit.

Hanc experiebatur sanctus Rex David cum diceret, *viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, quam cordis dilatationem, animiq; alacritatem & promptitudinem, ad divinæ voluntatis executionem multis modis Deus operatur: aliquando enim mira suavitate, & delectatione, aliàs gaudio & lætitia inenarrabili, subinde etiam fragantia & odore suavissimo, qui ab ipso sensu olfactus exteriori percipi videtur, aliisque diversorum sentimentorum modis, gustibusque, vel interiores, vel exteriores sensus replet, communicatisque nonnunquam particularibus fulgoribus, intelligentiis, visionibus, revelationibus animam consolatur; & quasi ex abundantissima illa felicissimæ beatitudinis mensa, quibusdam micis lautissimque delectat.

Quas omnes Communicationes doctores mystici nomine generali consolationum, sentimentorum, revelationum, visionum, aut devotionum sensibilium, complectuntur.

Hic enim percipit & experitur anima, quid in ipsa circa Deum agatur, simulque suavitatem ejus degustat, experitur bonitatem ac providentiam, percipit præsentiam, & quasi manibus tangit divinæ bonitatis, qua in laboribus & tentationibus sustentatur, admirandum favorem.

Alterum Iustorum in via Domini sustentaculum est fides.

§. 2.

ALterum medium in Ecclesia Dei Iustorum solatio relictum, est Dei verbum, sive fidei & Scripturæ sacræ doctrina, quæ clarè nobis regni cælorum viam demonstrat, & qualia, ad finem tam sublimen consequendum, amplecti debeamus media, quæ sunt, firmissimè omnibus, quæ DEUS Ecclesiæ suæ sancte revelavit assentiri, adimplere mandata, viam insuper regiam regni cælorum esse viam crucis, laborum, tribulationum, tentationum, in quibus qui viriliter certaverit, gloriosè coronabitur.

Docet præterea fides DEUM præsto esse, & paratissimum auxiliari nobis: tum ut universis mundi, & inferni phalangibus intrepidi resistamus, tum ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris; neque hominem deseri, aut derelinqui à Deo, nisi primò ab ipso derelinquatur Deus, nec unquam defuisse misericordiam DEI eam fiducialiter sperantibus.

Hinc Scriptura sacra sæpissimè clamat, ut in DEUM speremus, totam nostram spemin eum projiciamus, ne in tribulationibus deficiamur, sed fortiter tentationibus resistentes, armis, quæ nobis in verbo sancto suo proponit, magnanimi-

ter

ter adversus adversarios nostros præliemur, futurum proculdubio promittens, ut insigni de terribili hoste victoria, coram Deo, Angelis, & hominibus triumphemus.

Solatium ergo justorum, & virorum perfectorum, fidei baculus est, quo in hac peregrinatione fulciuntur, & firma spe, & fiducia innituntur certius profecto, solidiusque, quam in ullis aliis consolationibus & visionibus; fundati super immobilem nimirum certissimæ primæque veritatis petram, & insolubilem spei basim, quæ nec divelli
Hebr. 10. nec concuti potest: *fidelis enim est* (ut inquit Apost.) *qui repromisit.*

Plena est Scriptura sacra vivis, ad virtutem, & perfectam mandatorum Dei custodiam admonitionibus: *quæcunque* enim *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per consolationem scripturarum spem* altam concipiamus, & invictam in omnibus adversitatibus, & angustiis patientiam: scientes, secundum fidei doctrinam, isthæc omnia ad majorem suam gloriam operari, & permittere Dominum, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem, ducem, & magistrum nostrum IESUM, aliosque Sanctos, qui proposito sibi gaudio sustinuerunt crucem, confusione contempta, magis eligentes impropérium Christi, quam temporalis peccati habere jucunditatem.

Certè instillat in cordibus nostris fides spem invictam, dum multò ampliorem, & certiorem fiduciam, quam omnes revelationes, visiones, experientiæ aut gustus ingenerat, certò credit, nunquam, sine gravi peccato nostro, divinam gratiam à nobis recessuram: & (quod multis voluminibus pro dignitate tractari deberet) maximum procul dubio fidei solatium est, testimonium bonæ conscientiæ: & perfectionis Christianæ substantiam, non sentimentis istis, visionibus, aut revelationibus, cæterisque rerum spiritualium experientiis, sed in justitiæ ac veritatis operatione consistere, quod Regius Propheta hoc modo cecinit: *mandasti justitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis*; quasi diceret, secundum declarationem sancti Bonaventuræ, Testimonia prælentiæ tuæ Domine in anima, sunt justitia, & legis tuæ adimpletio, ac veritas solida fidei, verbique tui. Et hæc justo titulo devotionis essentialis nomen sibi vendicare potest.

Huic solidissimo fidei fulcro innixi fuerunt omnes Sancti; nam si attentè volvamus veteris testamenti Sanctorum historias; quid aliud, nisi vivæ fidei odorem spirant precationes, & petitiones ipsorum, in quibus tum verba pollicitationesque divinæ veritati proponunt, tum tories promissum ad se confugientibus in tempore tribula-
Psal. 118. tionis subsidium? unde inquiebat David: *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti: hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tu-*
Psal. 90. *um vivificavit me*: & alibi: *scuto circundabit te veritas ejus: non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & damonio meridiano; cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Significavit id Christus Dominus dicens in Evangelio: *Beati qui non viderunt & crediderunt.* vbi per videre, non solùm intelligitur visus corporalis, sed etiam omnium reliquorum sensuum exteriorum & interiorum operationes; ut clarius ostendimus *l. 1. c. 2.* adeò ut ad veram fidei puritatem, necessaria sit omnium sentimentorum, & gustuum, saltem quantum est ex parte fidei nuditas & evacuatio.

Et ob hanc causam S. Thomam, tanquam parvæ fidei, reprehendit Dominus, quia ad credendum humanorum sensuum requisiverat experimentum; nec non sanctam Magdalenam à contactu suo post resurrectionem arcens *noli me tan-* Ioan. 20. *gere*, inquit, *nondum enim ascendi ad Patrem meum.*

Neque mysterio caret Christum D. corporis sui tactum non permisisse Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Sancto Thomæ verò, reliquisque Apostolis ultrò carnem suam sanctissimam obtulisse palpandam: nam (ut quidam doctores animadverterunt) Sancta Maria Magdalena in fide solidata, & consummata fuerat, per Angeli in monumento residentis verba, antequam Dominum videret, & idcirco minimè ei necessarius erat dominici corporis tactus, cum vera fides non quærat humanorum sensuum experimentum, verum quia S. Thomas, cæterique discipuli, etiam videntes non crediderunt, his quidem dicit: *palpate & videte.* S. Thomæ vero: *infer digitum tuum huc, & vide manus meas & affer manum tuam & mitte in latus meum*: ut carnis suæ contactu, sensuumque experientia eos in veritatem deducat: simul beatos edocens eos, *qui non viderunt & crediderunt*; qui sola fidei nuditate contenti, verbo Dei constantissimè innituntur, unde S. Bernardus de S. Serm. 28. Magdalena loquens: *non est veritas*, inquit, *in oculo, non sapientia; Bona, & vera sapientia trahitur de* in Cant. *occultis, nec quæras sapientiam in oculis carnis, quia caro & sanguis non revelat eam, sed Spiritus: non in gustu oris, nec enim invenitur in terra suaviter viventium: non in tactu manus*, & infra: *Multo minus oculus, qui nihil videt.* solus habet auditus verum qui percipit verbum. *Meritò carnem redivivam verbi prohibetur tangere mulier carnaliter sapiens, plus tribuens oculo, quam oraculo, id est, carni sensui, quam verbo Dei.* & infra, *Cessavit à fletu in visu oculi, quæ noluit consolari in verbo Domini, pluris habens experimentum, quam fidem. At experimentum fallax. Mittitur ergo ad certiorem fidei cognitionem, quæ utique apprehendit, quod sensus nescit, experimentum non invenit. Noli me tangere*, inquit; *discesse huic seducibili sensui inniti, verbo fidei assuesce*: quibus omnibus S. Bernardus probat fidei puritatem, sensuum experientiam excludere. Huc facit, quod alio loco dicit, *noli me tangere*, ait, *nondum enim ascendi ad patrem meum*: verbum gloriæ est: *nempe filius sapiens gloria patris: noli ergo me*, ait, *gloria, noli me tangere. Quare gloriam fuge potius, & vide omnino ne me tetigeris, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio jam secura, ibi in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur; nunquid non videtur audisse dicentem: noli me tangere, nondum ascendi ad Patrem meum, quæ in cantico clamat, fuge dilecte mi, fuge; hoc est enim quod supra me minimus.* Hæc S. Bernardus, & hoc fortasse est, quod alibi Sponsæ significare voluit Sponsus, inquiens: *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt*: quia fidei nihil magis officit, quam sensuum notitiam requirere, & ideo inquit Dominus S. Thomæ: *Beati, qui non viderunt & crediderunt.*

Differentiæ inter duas istas vias consolationum & fidei.

§. 3.

DUo hæc viæ spiritualis sustentacula, unum consolationis, & visionis, alterum fidei & verbi Dei, multum inter se differunt. Nam pri-

mum quidem quod est divina consolatio, perceptibiliter hominem exteriorem & interiorem reficit, & exhilarat: velut hominem membris enervatum, olei alicujus confortativi unguentum ita penetrat, ac confortat, ut jam imbecillitate cessante consolidatus sanitatique restitutus, saltare ac currere incipiat; ita omnino divina ista Spiritus sancti unctio ac cælestis ros animam ad alacritatem, & ad currendam cum exultatione viam bonorum operum, spiritu vitali restaurat, & roborat.

Alterum, quod est fidei, magis spirituale est, non tamen minus efficax: DEUS enim licet non ita sensibiliter, per venas fidei vivæ secretas, verbi sui vim, & efficaciam in animam diffundat, qua ad divinæ voluntatis diligentem adimpletionem vires, ac fortitudinem acquirit.

Et ideo vivum & efficacem sermonem Dei appellat sanctus Paulus, quia virtute Dei, quam in se habet inclusam potens est animam vivificare & sustentare.

Sic ergo apposita similitudine dictam utriusq; medii differentiam manifestius explicare poterimus; illi enim qui consolationibus inuruntur, sunt sicut arbores, quæ pluvia roreque cælesti excrescunt, & fructificant; hæc enim irrigatio adeò sensibilis est, ut si arbor sensu polleret, de ea, tanto beneficio fruens dubitare nequaquam posset; adeoque in omnes dispergitur partes, ut à summis ramis ad radices ipsas, pluvia suo madore contingat, & perpluat.

Verùm, qui soliditatem & consolationem suam in Dei verbo posuerunt, sunt sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quæ secretò, & quasi absque ulla arboris mutatione, *Psal. 1.* aut ut ita dicamus sensu, radicibus terræ absconditis sensim illabentes, altiusque penetrantes, universæ arbori virtutem, & vitalem aquæ humorem communicant, ex quibus altera dictarum viarum differentia consequitur.

Devotionis enim solatium temporaneum est non perpetuum, aut commune, sed sicut aqua cœli, & (ut propheta dicit) pluvia voluntaria, quam segregat, & dat Deus cui vult, quomodo vult, & quando vult. Sed aqua verbi divini universalis est, & omnibus absque ulla exceptione communis, omnes omni tempore, absque ulla prohibitione irrigans, invitante Domino per prophetam, *Omnes sitientes venite ad aquas.*

Ob hanc ergo causam Spiritus sanctus de viro perfecto loquens, hujusmodi comparationem instituit: *Beatus vir qui in lege Domini meditatur, voluntæ ejus permanet die, ac nocte. Et erit*, inquit, *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; & folium ejus non defluet, &c.* qui primus Davidis Psalmus plurimos fructus recenset eorum, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, quorum præcipuus est divini verbi sustentatio juxta illud prophetæ, *Justus ex fide vivit*, eo quem modò tradidimus sensu: dicit autem Psalmista, folium ejus non defluet, quo devotio essentialis significatur, quæ promptitudo animi est, non in gustibus, sed in doctrina fidei fundata, ad ea, quæ divinæ voluntatis sunt, studiosè peragenda: & hic est primus fructus. Secundus est, *& fructum suum dabit in tempore suo*, id est, quocunque tempore voluntas Dei opus aliquod exiget, sive in tentatione, sive tribulatione, adversitate, aut prosperitate, illud absque dubio implebit; non enim in tempore adversitatis recedet, quandoquidem nec vento devotionis, nec rore suavium sentimentorum indigens, radice venam aquarum viventium verbi Dei hauriens, tempore suo, sine ullo impedimento fructificet.

Tertius est, *& omnia quæcunque faciet prosperabuntur*, & in ipsius cedent emolumentum, quod amantium DEUM proprium est, quibus, ut Scriptura ait, *omnia cooperantur in bonum*, qui ex tentatione eliciunt coronas, ex cruce patientiam, ex tribulatione gratiam & meritum, ex prosperitate timorem, ex adversitate spem: neque mirandum id est, cùm divini verbi virtute, omni tempore scuto inexpugnabili, ad defensionem suam sint circumdati, & romphæa à utrinque acutâ adversatio formidabiles; lucem quoque habeant ne aberrent. *Lucerna* enim *pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis*, fulcrũ quoq; & robur, ad constanter usq; in finem perseverandum. Sicq; divini verbi, & vivæ fidei virtute, defectum devotionis ita abundanter supplent, ut majori prærogativâ gratiæ & meritorum, majorem quoq; sibi præparent fidei coronam.

Qualis & quanta debeat esse fidei nuditas.

§. 4.

SIne consolationum & devotionum spiritualium adjutorio, aut desiderio in nuditate spiritus in via Domini progredi, vocant mystici doctores, *ambulare per fidem*; non tamen sic hoc intelligendum est, ut contemni debeant hujusmodi Cruce, divinæ bonitatis visitationes, & cælestia auxilia, quibus Dominus animam roborat, & excitumulat: sed ut cum affectus proprietate, iis non inniamur, sicque in spiritus nuditate & paupertate ambulandum est, ut nec desideremus, nec procuremus, multò autem minus divinitùs nobis communicata dona appropriemus; sed magis in authorem donorum, quàm dona respicientes, & nonnisi confidentes, ad solum divini beneplaciti usum, iis magna resignatione utamur, contenti privari, quotiescunque Deo libitum fuerit, & quando quidem fortasse, cum nihil tale suspicati fuerimus, vacuos nos, & solatio destitutos reperiemus; satagamus interim providere nobis, & virtutum cumulo, mortificationibus pœnitentiæ, aliisque quæ fides docet, prævenire nos in die bonorum, pro tempore futurorum malorum, nepræoccupati tentationibus, & ariditatibus, virtutibus vacui cadamus in opprobrium inimicorum nostrorum.

Quam enim stultus & omnis rationis inops esset pauper ille, qui à Domino aliquoties ad mensæ reliquias invitatus laboraret, & superventuris vitæ necessitatibus tempori providere negligeret, non considerans, vitam esse longam, redditum istum esse incertum, victum quotidianum esse necessarium, & cras fortasse Domini favorem immutandum, ipsumque loco epularum, magnas vexationes immissurum.

Docet quoq; hæc fidei nuditas, nullis se ita adstringere, & coarctare particularibus exercitiis, quantumvis devotis, etiam confitendi, communicandi, libros spirituales legendi, jejunandi, aliorumque similium, ut taliter nostrum profectum iis affixum æstimemus, quasi legitima horum omissione, in via Domini progredi non possimus.

Nam licet media ista optima & convenientissima sint, docet tamen fides iis aliquando, vel ob impotentiam, vel aliam justam causam cessantibus non solùm iis nos perfici posse: quia super hæc omnia est constans in DEUM fiducia, & sanctissimæ voluntatis ejus adimpletio, in qua quia sita est sanctificatio nostra, si voluntas Domini fuerit, ut absque culpa nostra,

Confidendo B. P. Ioan. à Cruce, qui de hoc argumentatur contra Ascetas scripsit lib. 2. Alcantar Carmeli per plura capita.

nostra, iis privemur, potens est Dominus omnes istorum exercitiorum in nobis supplere defectus.

Denique fides magnam suis cultoribus instillat paupertatem spiritus, & nuditatem interiorem sciendi, fruendi, gustandi videl. illustrationes, notitias particulares, & sentimenta solo divinæ voluntatis, & mandatorum Dei scopo desideriis nostris proposito: neque necesse habeat, aut visiones, aut revelationes appetere, instinctibus aut sentimentis inhærere, cum ista omnia supergressi sint fundati in universali, certaque & infallibili Scripturæ sacræ revelatione.

Fides affectus consolationum expurgat, & evacuat, docens viam cœli regiam cruces esse & tribulationes. Illustrationibus quoque, & particularibus de Deo notitiis cor purificat: quandoquidem omne id, quod de Deo cognoscimus & intelligimus fides transcendat.

Hinc ergo apparet viam hanc nuditatis fidei, utiliſſimam esse, cujus officium est, duobus affectibus animam evacuare. Primo affectu gustuum & consolationum, docens nudè quærere JESUM crucifixum, & huic soli placere velle. Secundo affectu revelationum & visionum particularium animam emundat, dum altiore multò, certioriq; infallibilis veritatis cognitione eam illustrat.

Verum hæc fidei nuditas, non ita incipientibus convenit, sed iis demum, qui jam ad viam unitivam pervenerunt, & hi, facili jam cursu, in via Domini exultant, virtutesque heroicas operantes, multos acquirunt gradus gratiæ in terris, & eadem proportione sempiternæ gloriæ in cælis.

VENERABILIS PATRIS

THOMÆ à JESU

VIA BREVIS & PLANA ORATIONIS MENTALIS.

PROLOGUS

AD LECTOREM.

BREVISSIMVS hic orationis mentalis acquisitæ (id est ejus Orationis, quæ labore nostro & industriâ, divinâ cooperante gratiâ, acquiritur) Tractatus, de eo agit orationis genere, quod omnibus Christianis commune est, ipsâ pluribus in locis nos ad illam invitante, imo & præcipiente Scripturâ sacrâ: Oportet semper orare. *Et,* Vigilate & orate. *Item:* in omni oratione & obsecratione, petitiones vestræ innotescant apud DEVM. *Nam cum de oratione & contemplatione à DEO infusa, quæ non omnibus communia, sed specialia sunt DEI dona, duobus libris nuper in lucem editis latissimè tractaverimus: plurimi, qui necdum experientiâ, aut intelligentiâ, sublimem illam capere poterant contemplationis, & divinæ theoriæ doctrinam, meritò faciliorem quandam & omnium captui magis accommodam, communemque ad perfectionem tendentium orandi methodum desiderabant. Quare, cum omnibus debitores simus, ut inquit Apostolus, operæ pretium existimavimus, nuper à nobis editis, quos diximus, de divina contemplatione libris, hanc methodicam orationis acquisitæ explanationem præfigere; ac viam planam & compendiosam omnibus aperire: quò non solùm sublimibus istis animabus, quæ quasi aquilæ generosiores altissimo contemplationis volatu terrea hæc transcendentes, puriorisaura salubritate vescuntur; sed etiam iis, quæ in sudore vultus sui laborioso orationis acquisitæ pane vescuntur, satisfaciamus.* Luc. 18. Matt. 29 Phil. 4.

Conabimur igitur brevi isto compendio animam spiritualiter in CHRISTO renatam excipere brachiis, lactare, atque ablactare, paulog, solidiore cibo, donec ad maturam ætatem & virilem perfectionem veniat, enutrire; ab ipso nimirum spiritualis vitæ tyrocinio, per omnes illius ætates, veluti per quosdam gradus, certis quibusdam regulis, documentis atque exercitiis paulatim, quasi supputatis ac mensuratis profectibus spiritualis passibus, manuducere: usq; dum jactis solidis vitæ omnino spiritualis fundamentis, mediante unione ac divina transformatione, occurrere possit Domino in animam perfectam. Multi quidem hâc ætate auctores, varios, maximo animarum commodo, hac de re Tractatus edidêre: verum alii ita prolixos, ut vix perlegi; alii ita breves & obscuros, ut vix possint intelligi. Brevissimo igitur & clarissimo compendio ea, quæ ab aliis copiosiùs, vel minus clarè pertractantur, digesta atque explanata trademus: breviter exponentes, quid sit